ANALOGIA MORBORUM CUM ORGANISMIS AD MENTEM ... DISSERTATIO...



ANALOGIA MORBORUM

CUM ORGANISMIS

AD MENTEM CL. JAHN ELUCUBRATA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

IN ANTIQUISSIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

AD LAUREAM MEDICAM

RITE ASSEQUENDAM

PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

LUDOVICUS NOB. DE LOEHNER

CZECHUS PRAGENSIS



PATAVII

TYPIS SEMINARII

1838.



Si quidem morbus est ens subsistens in corpore constructumque ex materia et efficiente interno seminali.

HELMONT.

Es gibt ein dem sichtbaren organischen Reiche entgegengesetztes, aber doch mit dem System wenigstens dem der Thiere verbundenes Naturreich, das der Contagien.

AUTENRIETH.

Google

PERILLUSTRI AC SPECTABILI

DOMINO DOMINO

JOANNI CHRISTIANO SCHIFFNER

MEDICINAE DOCTORI

C. R. REGIMINIS INF. AUSTRIAE CONSILIARIO ACT. ET NOSOCOMII UNIVERSALIS C. R. DIRECTORI, METROPOLIS VIENNENSIS CIVI HONORARIO, PHYSICO PRIMARIO ET SANITATIS MAGISTRO, ANTIQUISSIMAE UNIVERSITATIS VIENNENSIS DECANO ET NOSOCOMII UNIVERSALIS C. R. MEDICO PRIMARIO OPTIME EMERITO, FACULTATIS ET SOCIETATIS MEDIC. VIENNENSIS MEMBRO ORDINARIO, ACADEMIAE MED. CHIRURG. BEROLINENSIS, SOCIETATIS MEDICO-BOTANICAE LONDINENSIS, SOCIETATIS OECONOMIAE VIENNENSIS SODALI

etc. etc. etc.

666

VIRO

INGENIO, SCIENTIA, ARTE

NEC NON

HUMANITATE, PROBITATEQUE

CANDIDISSIMA

AEQUE INSIGNI

AMICO SUO PATERNO

IN

PERENNIS SINCERIQUE CULTUS

TESSULAM

HASCE PAGELLAS VOVET

DEVINCTISSIMUS

AUCTOR.

Google

§ 1.

Quam schola empiricorum antiqua in morbis et pharmacis facem unicam secuta est *analogia*, et hodie praestat omnis scientiae naturalis genuinae lucem. Nam nihil habemus praeter res ipsas quibuscum comparare illas liceat. Latuit itaque nos rerum essentia semperque latebit. In illarum inter se comparatione omnis nostra de singulis cognitio fundatur, crescetque quo magis omni ex parte eutiam omnium singulorum inter se analogias noverimus. Neque defuerunt fructus pretiosissimi tali operae, systemata utpote naturalia. Analogia objecta singula altius altiusque jungens et opponens scientias naturales sic dictas habet omnes, habet jam quoque pathologiam. Habuit illam implicite imo sub systematum artificialium (logicorum) imperio, spurio quidem titulo morborum affinium, metastasium, secretionis vicariae etc. Specimina clariora dedit Authenrieth, rem publici juris fecit Schönlein, secuti sunt Eisenman, aliique. Altior nunc supererat meta, singula utpote naturae regna analogia jungendi. Animalium et vegetabilium vita omnis ejusdem regulae jugo parent, tractant de hac analogia summorum virorum

opera optima notissima. Illa inter organismos et morbos plenam evolutionem exspectat a celeberrimo Jahn (juniore) primis lineis adumbrata, a nobis paucis explicanda.

§ 2.

Lubrinum hoc opus pro viribus nostris aggredientes, sequentes praemittimus hypotheses.

a) Nec defuerunt omni tempore genii audaciores, qui morbos qua regnum naturae proprium phaenerobiotum (Anthenrieth) declarare et evincere conati sunt, et ex omni theoriarum vortice haec sententia semper semperque ad nos usque redundavit. Paracelsus, Helmont, Autheurieth, Reil, Kieser, Stark.

b) Imo circumspectiores medicinae heroes optimi sententias saltem protulerunt tales uti sequuntur:

Non existunt nec vis (vita) nec materia (organismus) nisi coexistant.

Morbus vitam habet individuam ab humana alienam inferiorem. Eus constituit sui generis, parasita organismi humani.

Polari oppositione phaenomenorum utpote magis dynamicorum modo magis materialium absolvitur; organicam habet evolutionem. Conveniunt in hoc Paracelsus, Sydenham, Hartmann, Berndt, Kreisig, Stightz.

c) Nos quidem morbum nonnisi tamquam organismum inferiorem organismis infimis (sic dictis) aequiparandi periculum promittimus, spei tamen non expertes, neque tentamini penitus obliti et nam altioribus summisque organismis illum comparandi, cum et differentia ita Ehrenbergii operibus micrologicis partim

evanescat, partim evolutione foetali simul spectata non existat (Meckel).

. d) Quamquam exosa sit repetitio geniis strenuis et superflua probis, tamen de analogia non de homonsia nos loqui iteratim protestamur.

§ 3.

Ex re esse videtur ad universalia quaedam animadvertere priusquam singula adeamus de morborum tamquam organismorum genesi evolutione et interitu. Est nobis primum cum processu illo omnis fere vitae archetypo *infusione*, tamquam organismi fientis (organisationis) principium imo archaeus a quibusdam consideratu. Viri summi acuminis vitam universam terrae parasitam, genesim, evolutionem et mortem omnem, infusionis germinationem, inflorescentiam, semioationem declararunt (Ooken). Non alias morbus; nam primus quidem morbus contagiosus non potuit prodire nisi ex spontanea generatione, et hodiedum multi prodeunt cosmicis influentiis faventibus ex vivi materia corporis. *Formae* quorandam morborum oculis imponunt *animalium et vegetabilium* quadam specie, uti scrophulae, tuberculos, scirrhus. Ultimam jam Carmichael animal declaravit. Exanthemata tamquam organismos singulos Authenrieth et Meckel, impetigines Schoolein, tanquam plantas tractarunt. Morbi permulti evolvuntur cum animalium aut plantarum generatione. In liquoribus hydropicis formationes tremellosae, in ulcerationibus internis mycetoideae, in ulceribus externis clavariae inveniuntur; leprae, phthiseos, cariei, pe-

stis, succi animalia continent. Scatent hisce vaccinae, variolae, prurigines senilis humores aeque pus, testibus Alibert, Brera, Dessault, Gruithuisen, Heursinger, Morel De Vindé, Mitchill, Rolando, Sacco, Schweiger. Coincidant imo ad oculos maunsque morbus et planta aut animal in uredine, visco, lianis (plantarum morbis); helminthis, pediculis, acaris scabiei (animalium morbis). Sed jam ad singula nos vertamus.

§ 4.

Quoad genesim.

Duplex datur *geneseos modus*, aut primitivus, aut secundarius. Oriuntur primo infusoria, fungi infimi, uti xylomata, naturae autocratia, summa influentiarum externarum. Alter est obi organismus quidam germen producit per quod organismus, primitivo similis efformatur. Haec per sporas, gemmas, tubera, bulbos, semina etc. Dantur organismi quidam qui uno solum modo, uti cysticerci, infusoria infima ex una, ex altera parte animalia altiora; sunt alii organismi qui utroque propagantur; conferve, fungi, musci, hydrae, taeniae, Treviranus (in Biologia) et altiora animalia. Morbi quidam et ex seminio (contagio) et sine illo oriantur; gangraena nosocomialis, febris puerperalis, erysipelas, typhus, angina membranacea, scorbutus (Pinel), lepra. Datur et haec differentia ut illorum quidam facilius ex semine oriantur; varicella, morbillus, scarlatina, sicui lichenes, hydrae, zoophyta, fungi. Alii, dysenteria, erysipelas, blenorrhoea neonatorum, generatione aequivoca facilius oriuntur, uti fanai

inferiores et helminthes. Nonnisi originarie (generatione equivoca) oriuntur nevruses plerumque, genuinae inflammationes; exclusive per semina syphilis, scarlievo, vacciae, scabies. Ambobus in regnis illa ex semiaea solum prodeuntia altiore dignitate formarum praecellunt, medium locum tenent, quae utraque modu, ultimum quae. spontanea solum generatione oriuntur (Autheurieth).

§ 5.

Secundum *substratum* infusionis jam vegetabiles jam animales oriuntur formae. Materiae in floccos solvendae citissime infusoria largiebantur; gelatinosae, muscosae (Treviranus). Jam in eadem infusione producta infusionis variant, secundum varias ejus per tempus metasyncrises; imo quaedam nonnisi certis mediis insunt (Gruithuisen). Variant entozoa secundum animalis ejusdem aetatem (Cuvier). Aliud est caecoma segetum, aliud caecoma violaceum in saponaria officinali. Clavaria nosocomiorum faciis chirurgicis sola est (Schweiger).

Morbi sunt alii plantis, alii animalibus, alii hominibus exclusivi. Exclusivi quoque singulo sexui, aetati, individuo, systemati, organo, telae, *diathesis* cui clarissimus Kieser systema medicum superstruxit.

§ 6.

Differunt infusionis producta secundum agentia externa temperaturam, lucem, aerem, electricitatis tensionem, indolem, elevationem supra mari. Narcoticae infusiones germinationem animalium accelerant, vegetabilium impediunt, galvanismo luce musci byssus ruber, polari

analogus in carottarum infusione formabatur (Treviranus). Imo vasorum continentium forma influxum habet. Ita ex eadem dispositione (momento morbi interno) agentium externorum influxu, morbi longe alii propullulant. Scrophula eadem modo rhachitis, modo blenorrhoea, modo serpigo est, externe determinata. Scorbutica diathesi signatos modus nimius in febrim putridam, vita deses in cachexiam rapiunt (Authenrieth).

§ 7.

Vitam propagativae scala quaedam est, in cujus summitate solum sexuum differentia obtinet, in reliqua scala unitate generantis involuta, nec deest in animalibus summae dignitatis hujus phanerogamiae analogia, cum foetus foetu progenerati habeamus specimina. Pariter *morborum sporae (contagia)* quaedam ab organismo suo generatae absoluta fere necessitate in organismo alio radices figunt quin hujus diathesi (principio foemineo) opus esse videatur, ex. g. pestis, cancer, syphilis; in aliis contra altiorem suspicamur geneseos modum, oppositionem polarem utpote intra contagium (principium masculinum) et dispositionem organismi concipientis (principium foemineum) ita in typho, scarlatina, tussi ferina.

Pauci dantur solummodo organismi semiaibus fructiferis procreandis penitus impares, steriles, infimi certe habendi; formae quaedam vel vix vegetabiles et cysticerci. Morborum praeter publice notos fere plurimi jam contagiosi (fertiles) visi sunt erysipelas, scrophula, scorbutus, phthisis, aphthae. Praeeunte Laennec

et Steinbuch in hydatidibus imo sporas argoimus. Clarissimus Kieser morbis omnibus facultatem propagativam, dummodo debite evolvantur, inesse existimat.

§ 8.

Omnis organismi *fertilitas* in ejus acme. Plantae sub flore et animalia in summa quae conessa est evolutione propagantur. Nec morbi discrepant. Febris flava, pestis, dysenteria, typhus, imo lepra primo stadio non inficiunt; in variolarum prodromis imo adcubitus innocuus fuit. Dantur tamen in utraque directione exceptiones, liebenes illinc, syphilis hic vix ortae fertiles sunt.

Aphides in decrepiditate prolium exclusionem perficiunt, aeque ac in typho Hildenbrandii maxima est in decremento contagii malignitas insidiosa.

§ 9.

Seminum ut contagiorum formatio, cum *sensibilitatis turbis* procedit. Nota est in plantia vita quae incendifur, in nonnullis fere animalis, subfructificatione; stigmatum motus, antherarum tremores, valisneriae motus automaticus. Jam taceho de concussione vitae animalis sub copula, epilepsiae brevis nomine a Democrito insignita. Evolutio contagiorum aeque turbis vitae sensiferae jungitar symptomatibus notissimis, e. g. sub eruptione in cute. Imo versatilitas magna totius et omnis morbi hoc sub tempore erethismum corporis foeminei post conceptionem in mentem impraeoccupatam et subtilem revocat.

674

§ 10.

Omnis *propagatio* sub schemate *divisionis*, exinanitionis generantis praecedit. In plantis ac animalibus steriles aeque majori vitae intentione et extensione polleat. Frigidiora ad coitum diutius vivunt calidioribus. Existit fertilitatis cum organismi individui vi opposita ratio; imo sic arte, functionum sexualium suspensione, plantae annuae biennes evadunt. Cetoniam Schweiger tali pacto per quinque annos servavit. E contrario entozoa infusoria quamprimum prolem prodiderunt, emoriuntur; hydra quoque, amphistoma cornutum, taenia. Et in homine vitas sexualis acmen, vegetationis decrementum et processus organici revolutio, coitum exinanitio momentanea, excessus sexualis tabes sequitur. Ubique propagatio sumtibus reproductionis perficitur. Morborum contagia seminum productione mitigantur; febres exanthematicae, cutis inflorescentia. Ita pestem, Antrechau teste, bubonibus supervenientibus, a prima saevitie deperdidisse visum. Narrat idem Chenot. Exanthemata chronica organismo insidias minores struere videmus quamdiu florent. In exanthematibus acutis cura dimidia in servanda cutis functione consistit. Horrendorum malorum agmen chronicorum repercussioni correspondet, uti de scabie, syphilide notissimum. Quid ergo de nova methodo Gallorum dicemus, impetigines imo inveteratas causticis tractandi?

§ 11.

Generationis periodo vita propagativa *odorum* et *colorum* altiore evolutione patefit. Foe-

tent sub hac vitae summo gradu phallus impudicus, flores nonnulli. Redolent sperma animale bulbi, nec non flores permulti, uti berberis. In insectis organa olida accessoria genitalibus fere semper juncta videntur. Gammari teterrime foetent. In animalibus altioribus hac periodo notissimum est glandularum olentium functiones aut intendi aut plane novitus oriri, ita in moscho, sue tajassu, castore, lepore, leone, zibetha, elephante, didelphide. Similiter colores evolvuntur laetiores, satiores, in lichenum, parmeliarum thallo, in plantarum floribus. In avibus per colores inter altiora animalia praecellentibus, quibusdam ut ita dicam coloribus alatis, summa implomationis et genitalium evolutio coincidunt, per annos recurrunt.

Contagiis odores adhaerent peculiares. Pestis poma dulcia olet; typhum Sarenne, Osborne, Fuderé odore dignoverunt. Non deest talis peculiaris febri flavae (Rush) variolae, scarlatinae, miliaribus, syphilidi, trichomati. Heim, Frank, Schonlein, Gruobeck. Stark, vasculum vaccina repletum aperiens coryzam contraxit. Arthritidem, gangraenam nosocomialem produnt exhalationes specificae.

Colorum longa nec sufficiens fuit attentio, nec vincendae difficultates haeusque in illorum descriptione et dispositione. Authenrieth et Schönlein primordia posuerant, praeter impetigines, a Wilanio depictas. Notus est erysipelatis, nevrophlogosium, kirrhoseos melanoseos, syphilidis, cyanoseos color. Glaucoma a colore nomen habet quamquam ineptum.

§ 12.

Organum spermatophorum: cellula est aut simplex aut composita. Sufficiat nominare elytras, thecas, sporocarpia, urnas, antheras. In animalibus una est an eadem genitalium ex cellula, utriculo, canali, evolutio. Vesiculis patefiunt variola, vaccina, varioloïs, varioella, morbillus, miliaria, cancer syphilitinus, hydrops. Bulla, pustula, papula, vesiculae metamorphoses sunt; haec neque deficit arthritidi, febribus intermittentibus, haemorrhoi, hydrophobiae. Typhus quoque abdominalis exanthema habet (internum). Scrophulae, pestis et syphilidis bubones vesicam repetunt, erysipelas altius evolutum in tales erumpit.

Cellulae huic textura cellulosa convenit in plantis fere ubique, in animalium ovariis et fessibus plane omnibus. Fragmenta analogiae pathologicae hic loco desideratae Sacco dedit, locula vaccinae demonstrans, Schönlein illa in psora macrocarpa affirmat et in bubone talis structura locularis, intergeriis cellularibus plantarum similis, ante maturationem observari potest.

In harum rationum accuratiori investigatione, investigatorum dispositione, nova exanthematum diagnoseos semina fors latent.

§ 13.

Commune est omnis generationis novae, phaenomenon *dehiscentia* (Decandolle), in plantis prima insignita, ut pote spermatophororum dilaceratio sub seminum effusione. Non alia est in infimis organismis, volvoce, amphistomate cornuto ac taeniis; in piscibus syn-

gnato, gado merla, saepia. Repetitur in ove avium, superest quamquam hypothetice in vesiculae graafianae ruptione.

Exanthemata fere omnia debiscunt maturitatem ingressa. Et illa, quibus negabatur testante Albert, dehiscunt. Non minus herpetes ac crystallina aut impetiginis primordia. Ao ubi secretio sola hucusque suspicabatur, aut observationis accuratiori, aut microscopii defectus accusandus (Albert).

§ 14.

Disciplina est antiquissima et explanatissima operibus egregiis de *potentiarum externarum influxu* in embrionem, et de horum a normali evolutione aberrationibus, abortibus, deformitatibus variis, secundum Meckel, in animalibus ad metamorphoseos aut impedimentum aut exuberantiam reducendis. Quam, plantae sequuntur similes lea est, quoad sporas lichenum a celeberrimis Mayer, Erhart, Florke, Achar, explanata, qua lege secundum celeberrimum Mayer in lichenibus imo regularibus formis maior deformitatum numerus invenitur; nec non certis sub rerum circumstantiis constanter in floribus nectaria in antheras, antheras in calycem et corollam e. t. p. transire videmus. Talis insuper est omnium florum plenorum genesis (Goethe, Decandolle). In pathologia Schönlein aevi nostri medici fors princeps, primus abortus notionem et nomen induxit, quoad exanthematum evolutionem praecipue quadrantem, inter quae species occurrunt emphysematicae, verrucosae, sihquosae, lenticulares, sanguineae, lymphaticae, acuminatae,

suillae, uvillae. Ita scabies eadem modo papuliformis, modo pustulosa, modo vesicularis modo prurigo, modo humida, modo sicca est.

§ 15.

Seminis vis foecundans in minima quantitate fere eadem ac in quacumque alia. Ita pollinis grana duo, tria, ex mirabilis longiflorae trecentis ad fructificationem sufficiunt (Kolreuter) Spalanzáni cum spermate ranarum homaeopathice diluto, particulis vix amplius numero enunciandis, ova fructificavit. Quoad semina contagiorum, minima quantitas ubique sufficit processui tanto repetendo in corpore infecto. Varicella vera aeu transplantatur, carbunculus muscae proboscide, syphilis optimos anatomos necavit per vulnuscula minima in organismum irrepta.

§ 16.

Problemata potius quam resultata dederunt *chemicae et physicae seminis disquisitiones.* Chemicis evictum est, omnis seminis naturam materialem esse peculiarem, muco, glutini, albumini analogam, hydrogenio et azoto maximo consistere, phosphoro saepius componi, basice reagere. Physicae ludunt potentiae in illo; gasium evolutio, vel spontanea pronitas pollinis multa in combustionem, lucis evolutio (phosphorescentia) in plantis (Linné), thermopoesis, uti in arundine saccharo (Decandolle). In animalibus haec omnia apertissime recrudescunt uti Burdach demonstrat. Datur denique in generatione quoque imponderabilis cujusdam, dynamici (ut prostitato hoc vocabulo utar) vestigium. Suus enim competit materiae viventi

influxus supra sensus elatas (qua magnetismus animalis hacusque circumscriptus) nam per conductores ictus ad instar semen ranarum ova fructificat (Spalanzani), et datur conceptus tubis et utero clausis (Burdach).

Quoad chemismum contagiorum quaestiones magis quam notiones eheu! nobis occurrunt. Sufficiet tamen notasse, contagiorum basim quandam materiam animalem esse, muco, glutini, albinem, salibus galacticis et phosphoriois nuptam. Ammonium ex omnibus uberrime explicandum azoti et hydrogenii praesentiam testatur, basicae reactionis pro maxima parte sunt. Carcinomatis, syphilidis, variolae, vacciniae, scabiei succus, plantarum rubros in caerulenm vertit.

Duplex, quae spermati, et huic principio convenit, forma fluida et gas. Apparet utpote contagium modo visibile, modo invisibile elasticum aeriforme. Pestis, variola, typhus, miliaria, tinea, lepra, jam lympha, pure, jam per gas, jam contagione per fomitem, jam contagione in distans, aura seminali pathologica, propagantur. Addendum est, quod horum fluidorum aeriformium testes sint sensationes quas atmosphaera aegrorum in membrana mucosa oculorum, nari, ima palati provocat; sensationes nauseae propriae, verbis non pingendae Heim, Neumam, Jahn, Wolmar. Fors hisce jungentur aliquando pericula Hermbstedt de organico atmosphaerae telluricae principio et illa Bragmans de amorpho zootico in effluvia gangraenae nosocomialis contento. Actionem autem contagiorum, amplius ac materiam

640

dilatari, multa sunt phaenomena, praeter jam enarrata, cum e. g. in syphilide per resorbtionem assimilatio, dissolutio poneretur contagii, mechanica urethrae inquinatio neque semper possibilis sit, explicatio per consensum nil explicet, illa per motum peristalticum oppositum hypothesi innitatur. Sed maximum jam est exempla existere genuina de foetibus in utero matris non infectae variolis, peste, syphilide, dysenteria, scabie correptis.

Quis ignorat electricitatis oscillationes in tot morbis; in rheumate, erysipelate, nec non thermopoeseos sub nevrosibus, sub febribus patridis; jam ad gradus duos tresve imminutae, (in cholera), jam sub caloris mordacis larva alteratae? Pertinent huc scintillae electricae sub nevrosibus nonnunquam e corpore eliciendae, galvanismus animalis, (magnetismus Mesmeri) torrentes electrici in spinali medulla nuper detecti et combustiones spontaneae.

§ 17.

Animalium *spermatozoa* post Prevost, Dumas, Bory, Czermak systematice digessit; in plantarum polline simile quid Brogniart, Kieser, Goethe, Ocken supposuerunt. Imo lubenter credimus cum quibusdam sagacissimis principii animalis amplius quam hucusque videmus regnum extendi. Jungimus huc Brugmans (vide supra) de atmospherae gangraenae experimenta. Non minus quod Zimmermann et Hermbstedt in terrae atmosphaera detexerunt principium animale; de quo alioquin jam arguendum erat ex autocratica ejus sese integram

semper conservandi facultate imo a chemicis admirata. Mysteriosa illa tela per aeres autumnales natitans telae aranearum similis, quam ingeniosi quidam Germani aeris ipsius metamorphosim, incarnationem ut sic dicam, proclamarunt, nec non analoga illi subtilissima tela quam divus Goethe qua roris guttularum involucrum observavit; denique non sine spe veritatis dubia volvimus de zooidea quarundam thermarum indola (Gastein, Pfaefers, Leak) fors labore proprio, si vires sufficiunt, explananda (*).

Quamquam itaque pathologiam sic dictam animatam vermibus traditam minime lugeamus; tamen hisce analogiis innixi speramus fore, ut accuratiori sub examine multis in morbis principium animale detegatur. Quod in morbis κατ' ἐξοχὴν contagiosis nunquam deest. In variola, lepra, tinea, pytiriasi, ichtyosi, syphilide, psora, infusoria pathologica jamjam demonstrata sunt. Sacco, Dessault, Weber, Alibert, Hensler.

§ 18.

Kölreuter, Hedvig quoad plantas, Blumenbach pro animalibus, alique operibus leges inda-

(*) Movit mihi semper, movetque fors et aliis mentem proprio modo thermarum harum phaenomenon. Solitariae, rarae, sphingum ad instar penetralia vis telluricae, Alpes, obsidentes palingenesia vere Medica vitam ipsam perditam resarciunt. Cruciatibus chemiae illaesae neque explicari, neque mutari possunt, simplices potentissimae uti lux, calor, electricitas, terrae ipsius enormon spirare videntur. Ac si microcosmum macrocosmo componere juvat balneum animale (veterum) telluricum dicerem illas.

h42

gaverunt, de finibus, intra quos specierum mixtio, *generatio hybrida* concedatur. Videmus hybridas quoque morborum formas si morbi seminium speciei cujusdam a speciei alterius individuo excipitur organismi foemina ad instar; ita anthrax ruminantium, typhum scabies animalium psorum in hominibus producit, variola humana in simiis varioloidem, in aliis quadrupedibus aliud exanthema, paronychia benigna equorum, in bubus vaccinam, in ovibus ovillam producit.

§ 19.

Neque plantae neque animalia foeminea concipiunt ultra, evolutionis organicae sub regressu, ita quoque organismi senes parum infectioni amplius favent, imo immunes sunt, id quod de singulis organis valet. In infantibus summa est systematis pneumogastrici vita; morbillas, angina membranacea unam, scarlatina, variola, varicella alterum infestant. Summam aetatem virilem systematis nervei dominium typhus quoque, ochropyra, pestis concomitantur, ab oculatissimo quodam exanthemata systematis nervei vocati.

§ 20.

Conceptum sub fructificatione (coitu) *erethismus* comitatur *universalis*, in plantis motus convulsivi, in animali organismo hyperaestesis, spasmi animique exaltatio, orgasmus in vasis, in vita plastica secretionum et excretionum alienationes, nec non nota fibrinae frequentioris adsunt. Ad ungues congruunt morbi concepti (infectionis) primordia. Magnus Petrus Frank hos morbi fientis motus jam accu-

ratissime eum illis conceptionis epidramia comparavit.

Completissimae hac de re observationes in typha institutae alterationem universalem luculenter demonstrant. Adsunt sub contagii germinatione animi dejectio, delassatio, inquietudo, affectuum celeres vicissitudines. Jam friget jam calet aeger; vertigine, deliquiis, sensationibus electricorum ictuum torquetur; secretiones pulmonum, cutis, hepatis c. s. p. alternatim turbantur. Ceteram similia et da peste aliisque morbis, imo in syphilide genuina (Grüabech) observata exstant. Parallela hanc universalem alterationem *localis* sequitur *turba*; organi concipientis in omnes directiones aucta vita. In plantis stigma pistillumque intumescunt, temperatura augetur, secretio odorque exuberant, omnisque plantae vita in fructus conformandi opera abripitur. In animalibus uteri, ovariorum, tubarum plasticitas, circulus, inervatio exaltati, phlogoseos quamdam speciem produnt; succeditque seriea multiplex phaenomenorum a clarissimo Burdach in classico opere omni ex parte absolutorum. Tanta autem est inter haec et infectionis symptomata localia analogia, ut infectionem et conceptionem universim aequipararint; superfluumque videatur rei tam notae repetitionem fecisse.

§ 21.

Processus generationis ubicumque, maxime *muco* fovetur. Confervarum germina muco oriuntur illis contento, mucoque ab aqua tuentur, fungi sub propagatione in mucum disci-

dant germina continentem, in plantis altioribus stigma sub fructificatione gynizo (liquore stigmatis mucoso) tegitur, in animalibus ovorum productio ubique membranae mucosae adhaeret quae illis mucum suppeditat pro tegumento quamquam diversissimo, ita in mya pictorum, in helice pumacea, in ranis, in cephalopodis. In altioribus omnibus systema genitale ubicumque membrana mucosa cingitur, mucique secretio frequens obtinet. Idem hoc systema Stark optime dicit, quod generationis altioris turum, sistit et altioris pathogeniae (contagii) substratam. Deponuntur in membrana mucosa respirationis morbillos, angina membranacea, typhus. Scarlatina in faucibus, ophthalmia aegyptiaca conjunctiva, variola mucoso-gastrica, lues genitali fovetur, nec alia est infectionis per cutem via, non enim epidermidi anorganicae, sed reti Malpigiano contagii susceptio tribui potest.

§ 22.

Fere aequalis momenti sub germinum organicorum evolutione *carbonicum* esse videtur, principiumque nutriens omnis vitae terrestris (Ocken). Evolvuntur ex humo, carbonici metamorphosi, spontanee infimarum plantarum germina. Thallus lichenum carbanicum deponit idemque exhalat, secundum Mayer haec depositio in thalli cellulis modo qua massa nigra friabilis, modo oxydata qua stratum sub coloribus viridissimis apparet. In filicibus semina in superficie foliorum carbonium exhalantium deponuntur. Flos altiorum in inflammabilium, itaque carbonici evolutionem maxime

tendit, jam organis propriis nectariis illud extricatur jamque nonnisi carbonicum est in floribus, quod floret. Convenit quam zoologia tribuit symbola. Carbonici exclusio observatur, ubicumque ova efformantur. In polypis in cute, tota respirante, in illis animalibus, quae per branchias respirant, aut ad illas, aut ad organa analoga ova sita inveniuntur. In oniscis, arachnidibus, crustaceis. In piscibus pluribus peritonaeum a Caras respirationi vindicatum ovorum primae (tamquam) incubationi inservit, ipsumque demum systema uropoeticum, repetitionem respiratorii, colatorium principii carbonici sistens, partem integram sphaerae genitalis efformat; in foemina menstruatione carbonici exclusio absolvitur. Omnis mucosa respirationi aut positive aut negative dicata hinc carbonici exclusioni (Carus). Omnis contagii conceptio aut in membrana mucosa respirationis oxydationi inservientis, aut tractus intestinalis, carbonium sub bile seponentis, aut cutis externae (retis Malpighiani) carbonium spirantis, aut denique in illa genitalium haeret.

§ 23.

Oscillationis lege suprema mundum moventè jam fit, ut omnem *stimuli repetitionem* reactionis consuetudo, jam ut consuetudinem diuturnam recens ac nova stimuli impatientia et hinc reactio sequatur. Sic meretrices in lupanaribus steriles per annos, repente impraegnatae fuera; captivi per annos a carcerum halitu illaesi ex tempore illo sublati fuerunt. Quoad morbos vidimus parabolanos, vespillo-

648

nes, medicos in dirissimis morbis popularibus immunes longum per tempus servari, at ex improviso tandem necari. Matrona quaedam Berolinensis nobilis ab infantia infectioni variolarum iteratis vicibus, insitioni vaccinae omnibus septem annis sese exposuerat sine effectu, aetate provectiore autem infantis variolosi foedo aspectu infectam se sensit, et denuo vaccinata exanthema absolvit. De syphilide Veneris equites idem diu experientia comprobarunt.

§ 24.

Superfoetatio in organismis altioribus ubicumque non minus in morbis altioribus rara, in inferioribus fere regularis. Ita rarissime scarlatina et vaccina, morbilli et variola in copula inveniuntur, sicuti contra in salamandris frequens (Blumenbach), in aphidibus regularis superfoetatio. Sic in inferioribus morbis frequentissima est copula e. g. scrophulae junguntur inflammationes, gastroses, blennorrhoeae. Superfoetatio quoque pathologiae tali regula adscripta est: aut ut ambo foetus evolvantur independentes e. e. syphilis, catarrhus, aut ut unus alterum supprimat, syphilis typho necatur, aut ut invicem sibi impedimenta sint evolutionis, uti in rubeola, scarlatina et morbillus, (Schonlein). Hujus formae Schonlein primus quoque mentionem fecit.

§ 25.

Genesim perlustrantes in fine mentionem faciamus opus est, et germina singula, typos a genitoribus alienos sequi et formationes tales atypicas imo in varietates constantes pro-

pagari posse. In entibus infimis datur invicem transitus (Schweiger, Wiegman, Cavolini), ita confervarum sporulae in alias et alias oonfervas, imo in infusoria; rivulariae jam in linckias, jam in confervas veras formantur. Lichenum germina in mille formas proteicas tendunt. In altioribus animalibus deformitates per excessum aut defectum, albinismus haereditarie propagantur, Hebraeorum infantes non raro praeputio privi, Sinarum incolae pedibus, Botocudes craniis deformibus nascuntur.

In morborum regno ex varicellis variolam, e scarlatina cynanchem gangraenosam, e gangraenae contagio typhum, e typho non raro nevrophlogoses oriri optimus Authenrieth evicit.

Anomaliae tales quoque contagio amplius insitae constanter evadunt, fors tali modo variolois variolae, gonorrhoea syphilidis, radesyge, trioboma, scarlievo leprae varietates sistunt. Fors tanta morborum varietas tali processu degenerationis orta est.

De vita morbi.

§ 26.

Quae morborum vitam cum illa organismorum comparatam spectant, et clariores sunt et melius exaratae et notiores analogiae operibus clarissimorum Reil, Kieser, Hartmann, Stark. Sufficiet aphoristice illa notare quae, communi doctorum consensu, organismo et morbo quoad vitam communia tribuuntur.

§ 27.

Non existit nec vis nec materia nisi coexistant in vita et morbo. Morbus quicunque

6v4

materialem quoque supponit matationem (Hartmann); materiam sibi propriam gignit; organa imo sibi propria parat, ita in exanthematibus fundam suppurantem (Stark).

Omni vitae (organismo) autocratia competit et nisus se conservandi. Falluntur hanc qui morbum processum suicidum vocant, nam morbus quicumque sibi relictos aut altius altiusque organismum totam in dominium suum abripit, aut tamen nonnisi stadiis omnibus absolutis, vita itaque peracta naturalem finem attingit.

Omnis habet vita evolutionem metamorphosi continua perficiendam a vita minori ordientem per summum fastigium ad illam redientem. Morbus stadia habet notissima incrementi, acmes, decrementi. Metamorphosis in organismo novo maxima apertissima; in syphilide primum stadium metamorphosi hac — novae partes accedunt, cancer, bubò — immutantur existentes, crystallina in ulcus syphiliticum — fatiscunt penitus non amplius reducendaé, crystallina, exanthemata, aut — renovantur hydrae ad instar, ita in herpetibus vesiculae, inflammationes sic dictae specificae.

Omnis vita sub initio latet (cryptobion), nam sub coitu ipso jam nova vita polari oppositione oriri debet, serius tamen visibili germine apparens (Stark). Vita quoque sub fine per tempus aliquod adhuc latet in cadavere (Wilson Philip). Cadaver enim emortuum legibus chemicis et physicis non statim cedit, servans per aliquod tempus irritabilitatem, calorem, resorptionem.

Digitized by Google

Morbi initium omne cryptobion sub nomine stadii morbi nascentis, fientis, fermentationis opportunitatis omni tempore cursu insignitum sub fine aeque lateus reconvalescentia audit, mater recidivarum tam foecunda.

Diversissimum est temporis spatium, per quod semina animalium germinandi facultatem servant, nonnunquam longissimum. Glandis quercus, gentianarum, saxifragarum cito hanc amittunt. Animalium altiorum foetus certo post coitum tempore adest, aut nunquam. Siliquosarum contra, cucumerum semina per annos asservari possunt. Semina mais ex catacombis Peruanorum antiquorum, bulbi ex ammiarum sarcophagis radices fixerunt. Cernuha post saecula. Ita insectorum quorundam (Schobert), piscium (Haller) ova post lustrum adhuc excludi visa sunt. Apes, araneae, aves, salamandrae post tempus justo multo longius proles ex coitu prodiderunt (Harvey, Reaumur, Blancard, Blumenbach).

Scarlatina, morbillus, scabies, pestis in organismo humano longe non latent. E contra vaccina, syphilis, hydrophobia medici attentionem retardatae saepe fefellerant

§ 28.

Omnis vitae processus *oscillatio*, fluxus et refluxus, rhythmus est, in mari, in atmosphaera (Humboldt), in vulcanis, fontibus, plantis, animalibus. Annuus est, aequinoctialis, menstruus, hebdomadarius, diurnus. Non alius in morbis typus, remissio, exacerbatio, paroxysmus, apyrexia. Differentiae quoad singulorum durationem innumerae. Tuberculus, hydrops

hyeme; scabies, scrophula aestate exardescunt; nevroses aequinoctiis. Cyclus hebdomadarius frequentissimus. Scrophula, phthisis, gastrosis mane, rheumatismus, inflammationes, exanthemata vespera exacerbant. Lex eadem ubique in singulis organismi partibus. In morbis similis oscillatio. Ita sub arthritica inflammatione, sub haemorrhoi vena portae passio sublevatur; sub scabiei flore minor dysphoria interna.

§ 29.

Ut fauna et flora, *geographiam* habet pathologia a Schönlein primo systematice exaratam. Sunt organismi quidam per totum terrae orbem diffusi; sunt et catarrhi, rheumatismi, hydropes (morbi communes); includuntur alii terminis fixis, locales sunt morbi, endemici regionum. Praeferunt alii zonas frigidas, alii calidas. Septentrioni proprii sunt, ephidrosis, tussis ferina, radesyge, influenza, arthritis; meridionales sunt exanthematum, impetiginum major pars, febris flava, nigra (de Senegal).

Frequentia, evolutio entium organicorum ad aequatorem summa, summa vita, summa vis (Kieser). Morbi quoque sunt ad illam proteiformes, maligni, vehementissimi. Tetanus, cholera, pestis, hydrophobia, lepra.

Elevationis barometricae linea quoque morbis competit, at illorum uti cetera vitae organicae sedes praedilecta regiones profundiores. Enumerationi singulorum nimis longae supersedemus. Amant alii fluminum ripas, intermittentes; alii calcariam, kretinismus; alii alia loca (Hartmann).

§ 30.

In organismorum itinere per terram duplex distinguitur directio. Ab ortu ad occasum una fortior, altera ab occasu orientem versus minor. Peregrinantur et morbi. Cum sole venerunt variola, morbillus, pestis, typhus, cholera, influenza; ab occidente lues, ochropyra (Schourrer).

§ 31.

Plantae et animalia aut sparsim vivunt, aut sociata (Humboldt). Morbi *sparsi, sporadici, sociati pandemici* schola audiunt.

§ 32.

Datur in animalibus et plantis *coalitio*, implantatio (inoculatio) partium organicarum in aliam locum. Polypos Trembley miras in formas junxit. Nomen tulit spongia coalita Granti a facilitate cum aliis speciebus coalescendi. Inoculantur sibi tali pacto lichenes (Mayer). In plantis altioribus inoculatio hortulanis usitata est. Blumenbachi experimenta cum calcaribus gallinaceis, rhinoplastica denique huc pertinent. Ex morbi theoria doctrina mysteriosa de morbis spuriis larvatis, reconditis, compositis, complicatis, combinatis. Sunt imo aliqui, teste experientia, qui numquam substantivi, uti entophyta, epiphyta, entozoa et epizoa, nonnisi morbis substantivis aliis adhaerentes, insidentes inveniuntur. Hujus furfuris videntur hydropes chronici, emphysemata, miliaria (pro parte).

§ 33.

Quoad facultatem sese a noxis internis tuen-

692

di sequentia notamus; quoad organismos inter physiologos communissima.

a) Partium singularum privationem ferunt organismi; perdurant dyscrasiae productis ablatis; syphilis post cancri, buhonum, condylomatum excisionem; scabies, pustulis cunctis demtis. Imo antagonistice vita reliqua augetur, metastases immanes, metaschematismi, morbi sic dicti suppressi, talium experimentorum saepe proles sunt.

b) Regeneratur pars perdita, destructa. Condylomata, mariscae, tophi, varices, herpetes.

c) Regeneratio haec saepe jam incompleta est. Scabiem retrusam prurigo, haemorrhoin blenurrhoea, gonorrhoeam glandis prurigo substituit; jam iteratis vicibus fit hydrae ad instar; condylomata, haemoptoe abdominalis, arthritis arthritica; jam variat ad frequentiam; syphilis facilius in primum locum revocatur, quam scabies. Enormis denique saepe ex minimo residuo tota restituitur, Hydra in minima particula imo quinquagesima. Syphilis, scirrbus, varicositas bulbi ex quocumque residuo saepe restituuntur.

§ 34.

Uti regnum animale et vegetabile *historiam* veram in geologia, ita pathologia suam habet in historia epidemiarum, anthropologiae universalis parte. Inclaruerunt talibus operibus Schnurrer et Hecker. Videmus hac historia duce:

a) Uti faunae et florae terrestris primordia fossilia formas praesentant inferiores, simpliciores, rariores, ita morbos aborigenes infe-

tiori dignitate, minori differentiarum numero increpuisse; saeculorum cursu demum in tantum formarum numerum dilapsos esse. Verisimillimum enim morbos contagiosos primo non fuisse, et contagia ita orta, uti hodiedum adhuc nova sub morborum endemicorum acme evolvuntur. Neque Hippocrati exanthematum nostrorum multitudo nota fuit. Ita Kieser exanthemata alia omnia atrocissimi unius exanthematis (pestis), lepras omnes unius leprae orientalis membra disjecta esse contendit.

b) Uti singulis mundi diluvialis formationibus aliae deficiunt, aliae accrescunt plantarum formae et animalium, pathologia quoque historia doce novos oriri, vetustos circulo vitae absoluto perire videmus. Sic variola, pestis bubonica, lues, mors nigra, ephidrosis, cholera, ophthalmitis aegyptiaca, singula historiae morborum stadia notarunt; cursus finem attigerunt lepra, mors nigra; langueunt in agone pestis imo syphilis.

Sydenham dicit: »Sicuti alii morbi jam olim »exstitere qui vel jam ceciderunt penitus, vel »aetate saltem paene confecti exolevere et rarissime comparent; ita qui nunc regnant »morbi aliquando demum intercident, novis »cedentes speciebus».

§ 35.

Lex rhythmi et in vita elementari totius naturae, (liceat dicere) magni hujus organismi, et in *singulis* ejus regnis obtinet. Exsuperunt per singulos annos certae species innumera sua multitudine, deficiunt aliae fere penitus. Ita jam plantae phanerogamae, jam

cryptogamae exuberant. Exuberant singulaborum genera. Anni quidam horrendis locustarum, melolontharum, oarabarum, lepidopterum imo murium et ranarum agminibus obruuntur, quin hujus phaenomeni ratio tempestatis indole mere explicari cedat in terrae reconditis alterationibus fors quaerenda. Hoc et acutissimi quidam epidemii scriptures suspicati sunt, et rhythmicam illorum morborum singulorum per annos, lustra etc. exardescentiam (genium morborum) in ipsius vitae tellaricae indispositionibus quaerendam indigitarunt.

§ 36.

De morbi exstinctione (morte morbi).

Venimus ad ultimum *morbi* stadium, quod relate ad organismum cui insidet, sanitas; relate ad morbi existentiam ejus, *mors* recte vocandum. Sicuti in organismo qua tali non datur nisi mors naturalis, lege necessitatis ultimo metamorphoseos stadio adnexa, sic in morbis omnis natura mors quaedam naturalis datur; ita ut cursu metamorphoseos penitus absoluto, et sine medico ad vestigia usque exstinguatur. Et revera morbi fere omnes altiores (phanerogami), exanthemata, mortem suam in se ipsis reclusam ferunt, quam *febres* sic dictae essentiales saepius ostendunt, crisibus inducendam. Natura illa medicatrix tam decantata omnis in hac morte naturali apparet. Datur tamen et mors morborum praeternaturalis violenta, medici cura praestanda et in morbis quibusdam imo unica e. g. in scabie. In aliis saltem omni momento a

medico induci potest; e. g. in inflammatione. Sicuti autem organismus sic et morbus contra mortem (suam) valide se defendit, eo validius, quo adultior, non raro eheu victor evasurus. Congestiones itaque facilius, quam inflammationes, diatheses facilius quam morbi evoluti sanantur. Exemplum moestissimum phthisis. Attamen

a) Organismorum ad instar morbi pereunt truncatis partibus essentialibus. Ita syphilis per cancri excisionem nonnunquam.

b) Vitae suae conditionibus demtis et morbi pereunt; cura sic dicta causali e. g. scrophulosis.

c) Agnoscunt denique uti organismi singuli singula venena specifica. Intermittens chininam, syphilis mercurium, scabies sulphur, scrophulosis jodinam.

In talium specificorum indagatione recte perspecta morborum, essentia fors omnis medicinae futurae, labor et honos.

§ 37.

Singulo organismo vitae cyclus, durationis spatium emensum est. Differunt quam maxime hoc respectu. Infusoria, ephemeris, phallus impudicus diem vivunt singulum, elephas 300, quercus 500 annos perdurat. Adansonia fors millia. Habet suum quoque tempus morbus singulos. Apoplexia, asphyxia, paucas sexagesimas, exanthemata hebdomadam unam tresve, scrophula annos, arthritis vitam dimidiam, lepra totam implent. Firmior quam credere est veterum divisio in morbos acutissimos, acutos, subacutos, chronicos.

§ 38.

Vitae facis exstinctionem *exardescentia ultima* quaedam praecedit, summumque virium conamen. Ita morbi, aut medici aut interne propria lege existere cessantes summa phaenomenorum exardescentia (perturbationibus criticis) vivere desinunt. Ille autem exitus (extremus lucernae morientis conatus, Sydenham) spei et salutis plenus est pro aegro.

§ 39.

Mors tamen omnis vitae novae fomes (Καταγυσις). Hoc quidem tristissimum in morborum natura, quod exstinctorum perniciosa remaneat in organismo proles eccrises, debilitas inertia, erethismus, aut partium aut totius corporis. Arte non tamquam morbi sed jam qua eccrises protractae, jam qua posthuma, jam qua reconvalescentia, dispositio acquisita, tractantur. Sed revera morbi sunt, nam ad sanitatem non pertinent et morbi exantlati disjecta membra sunt; habent se ad illum ut infusoria ad infusionis substratum.

§ 40.

Ultimum denique restat monere quod morbi et suam agnoscant *pseudothanaton*. Vibriones, algae, post annos reviviscunt sub manu humectante. Muscas europaeas in vino suffocatas Franklin in America in vitam reduxit, congelatae evigilant. Homines asphytici tetanici, e somno pseudolethali post multos dies expergefacti sunt; partibus imo singulis putredine correptis (Schubert). De morbis doctrina existit vetustissima occultis, latentibus,

reconditis. Intermittentem quamcumque sequentem Sachs pro recidiva proclamat.

Affligit certe animum et hanc esse morbis analogiam cum organismis, cum vitae individuae tenacitas alias nonnisi spei fons nobis esse consnevarit.

Sed haec est lex individui major quam quae hominum generi soli ascripta sit, aut illorum precibus flectatur.

Συρροια μια.
Συμπνοια μια
Συμπαθεα παντα
Ιπποκρατης



THESES DEFENDENDAE

I.

Motus vibratorius per omnes animalium classes propagatur.

II.

Glandula omnis vera, membranae mucosae diramatio claasa.

III.

In mammalium regno existunt leges summae: typus et series.

IV.

Praesagia non semper fabulae.

V.

Senectus lithosis.

VI.

Hypochondriasis et hysteria morbi differunt.

VII.

Icterus est symptoma.

VIII.

Struma diagnosim accuratissimam exigit.

IX.

In morbis fientibus therapeusis cautissima sit, oportet.

702

Google